

Hermann Schuckmann

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hermannus Schuckman,
Theol. D. & Professor. Ad Exequias Quas ... Hedewich Tancken/ Coniugi
desideratissimae moestissimus viduus Diederich Wulfrath, Civis huius urbis
primarius Hodie ... paratas cupit Cives Academiae amanter invitat ...**

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418738>

Druck Freier  Zugang



Schuckmann, H.
in H. Tanck,
uxorem D. Wulfrath.
Rostock 1647.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777418738/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418738/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777418738/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418738/phys_0003)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777418738/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418738/phys_0004)

DFG

60

PROGRAMMA
Quo
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HERMANNUS SCHUCKMAN,
Theol. D. & Professor.
Ad Exequias
Quas
Matronæ Lectissimæ
HEDEWICH Lancken/
Conjugi suæ desideratissimæ
mœstissimus viduus
DIEDERICH WULFRATH,
Civis hujus urbis primarius
Hodiè horâ primâ paratas cupit
Cives Academæ amanter invitat
Corventus fiet in Templo Mariano.



• 6(1) 8 •
22

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M DC XLVII.

NT non potest non esse Mari-
to uxoris amanti luctificus planè
casus, si quando uxor diem suum
puerpera obit; sic huic vicissim, cui
puerperium, disponente vitæ necisq; arbitro lu-
mina claudit, si quæ Christiana obdormiat, ho-
norifica mors sit oportet, si vocanda mors est.
Qui vel in hoc seculo gloriam sectantur, non
modò non ulli probrosum esse sentiunt, sed in-
ter laudes, quæ cantari mortalibus solent, illud
quoq; referunt, cū occupato alicui in ijs, quæ ad
officium obeundum pertinent, & ex ipso adeò
opere ferventi, attingere ultimam actionum se-
cularium metam datur. Laudatur miles, qui
ad expeditionem eductus, dum cedere hosti re-
nuit, in acie mediâ fôrtis arq; strenuus occum-
bit: vituperatur, quem horrentem molli animo
prælia, & inter calones residentem, inopinum
nihilominus fatum conficit. In potiorem con-
dolentiam naturali quodam instinctu, lugen-
tium animos adducit istius Nautæ obitus, qui
cum totis viribus de servandâ navi laborabat,
naufragio vitam finijt, quam ejus, quem domi
delitescentem, quod tempestates maris & nauti-
cos sudores refugeret, desidia oppressit: hunc
enim, ut ut defleant, quibus sanguinis vel alio
quopiam arctiori vinculo junctus fuit, bonus,
quisq;

quisq; & laboriosus homo non deflet. Ita Literatis
sua laus est, qui libris, ut ajunt, quos dies noctesq;
terunt, vivi immoriuntur; sua in regimine togato
Magistratui, quem aestus susceptorum Reipubli-
cæ bono sollicitudinū, & conjunctæ cum his in-
finitæ molestiæ vigiliæq; immoderatae, mortali-
um consortio eximunt; Sua aliis quibuscunq; in-
dustriis mentibus, in pleno demandati officii ex-
ercitio ante diem vitam cum morte commutan-
tibus. Nec min⁹ igitur honoris decorisq; fuerit a-
genti vel patienti poti⁹ quod suum est, & ex eo in
mediis laboribus, prælio, munere, confessio sexui
muliebri: conficitur autem in acie & officio ipso
mulier, cum oneri partus & ærumnoso puerpe-
rio exanimata succumbit. Quanquam verò ho-
norifica ista & gloria sa post mortem videri pos-
sunt, atq; collata præsertim cum turpis & inhono-
stæ mortis generibus benignioris aliquid, quod
commendationi det ansam, in se continent, ta-
men, nisi cadant in animam piam, & fide in Medi-
atorem mundi purificatam (quæ enim hactenus
proposita sunt infideles juxta cum fidelibus
communia habent) dedecoris plus adferunt
quam ornamenti. Ad altiora proinde elevandus
Christianorum animus est, & quid conveniat di-
vini Numinis voluntati, quid non; eidemq; num
acquiescat penitus, postquam à seipsâ exivit,
an reluctetur relicta adhuc sibi humana volun-

tas, nobis intrâ Ecclesiæ pomœria natis oppidò
spectandum. Sic sustineat licet exquisitissimos in
partu dolores aliena à fide mulier, & vel prolis
suæ sepulchrum fiat, vel prolè enixa ipsa post Spi-
ritum emitat, explevisse, quidem eam quod pec-
canti naturæ fœminarum à Justo Judice Deo im-
positū erat debitum, dixeris, Beatam per liberorū
procreationē non dixeris. Contrà subeat eosdem
dolores, eandemq; sorte experiatur facta mortis
victima, Christo quæ dedita est Matrona, siqui-
dem manserit in fide & charitate & sanctificatione
cum modestiâ, sciens se, quicquid patitur pati secū-
dum paternum Dei beneplacitum, salvam istam
cū S. Paulo, & superato per placidum ex hâc vitâ
discessum hoste omnium truculentissimo, victri-
cem non immerito laudaveris. Hanc victoriā
& salutem gratulamur impræsentiarum prima-
riæ & virtutum ornamenti in administrandâ cū
primis dum vivebat, œconomiâ & educandis li-
beris, conspicuæ fœminæ Hedewich Tantzen / cui
mœstissimus viduus & justa hodiè solvit, & à no-
bis, ut exequias frequentes eamus, modestè pe-
tit. Quam militiam illa & quo eventu milita-
verit, nenipè prospero & optatissimo (hoc enim
illud est, cui principem in intimationibus nostris
locum damus) paulò post referetur, ubi in an-
tecessum, quæ initia vitæ fuerint & quis progres-
sus pie defunctæ matronæ, prout expositum no-
bis

bis est, paucis dōcuerimus. Lucem intueri cœpit Wismatiæ, Anno Christi suprà sesquimillesimum centesimo duodecimo, die 18 mensis Maij, prognata ex perverustâ eāq; amplissimâ, quam germinare primum fecit Femaria, quæq; postmodum in vicinâ nobis urbe Wismariâ à multis retrô annis florem tenuit, TANCKIORUM familiâ: Pater ipsi fuit vir quondam consultissim⁹ & Excellentissimus Dn. MARTINUS TANCKE, J. U. Doctor & Syndicus de Republicâ Wismatiensi bene meritus. Mater HEDEWICH DENGERS/ quæ patriam suspexit Dithmarschiam. Av⁹ paternus, vir olim spectatissimus Dn. MARTINUS TANCKE, Senator laudatae Civitatis prudentissimus. Avus maternus PETRUS Deucker, Illustrissimo Holsatorum Ducia miniſteriis & ejusdem præfecturæ administrator solertissimus. Habuisset hic defuncta nostra, quod istis aliisq; præcipui nominis & magnæ existimationis majoribus, qui suis quisque locis primarias stationes obtinuerunt, superbire secundum carnem potuisset, nisi & stolidum vitium esset superbia, & veram felicitatem gloriatio ista, si sola sitq; excluderet. Gloriari de quo optimo jure potuit, est fœdus cum Deo, in quod recepta fuit per Baptismum, sanctam illam bonæ conscientiæ stipulationem, adeoque adscripta numero civium cœlestium: Hanc potissimam felicitatis huma-

næ partem excepit postea, quamprimum per
ætatem licuit, diligens & ad pietatem composi-
ta educatio, quâ effectum est, ut virtutibus virgi-
nalem sexum decorantib⁹ ornata, & indè à tene-
ris ad gerendam rem domesticam probè assuefa-
cta facilè procum inveniret, septendecim anno-
rum virgo. Fuit is, cui, divinâ id moderante pro-
videntiâ, Anno millesimo sexcentesimo vicesi-
mo nono die 19 Maij, felicibus auspiciis nupsit,
Vir Speciatæ diligentiae & singularis humanitatis
Dn. DIETERICH Wulfrath⁹ ē civibus hujus ur-
bis eisq; sedecim viris non postremus, negotiator
item & præfectus ædis Johanniticæ industrius.
Stante matrimonio duobus potissimum, quæ in-
ter cœtera eminent, beneficiorum generibus ma-
ritum affecit. Alterum est, quod mater facta,
eum patrem reddidit decem liberorum, quin-
que filiorum, totidem filiarum. Illorum tribus
in ipso ætatis primordio extinctis, duo in vivis su-
persunt, Adolphus & Jacobus Alexander, quo-
rum ultimus, quemadmodum matri fact⁹ est Be-
noni, filius afflictionis, sic patri erit, quod Patriar-
chæ Jacobo, sublatâ in partu dilectâ ipsi⁹ Rahele,
Benjamin fuit: Uterq; verò juxtâ cum filiabus,
quarum nomina sunt HEDEWIG/MAGDALENA
MARGARETHA CATHARINA, Armgard/
ANNA, mœstissimi parentis animum ex inspera-
to chariss. Conjugis obitu sauciatum solabuntur.

Alterum

Alterum fuit, quod fidelem marito adjutricem &
curarum sociam se probavit; quam nunc amis-
sam acerbè dolet viduus: hæc enim ipsum sollici-
tudine domesticâ, ut aliis in rebus, sic præsertim
in accuratâ liberorum educatione maximâ par-
tem levavit, fecitque, ut octodecim anni junctis
duobus mensibus, quib⁹ matrimonium hoc con-
stitut, marito nunc mœstissimo, cuius testimoniu-
m id est, totidē saltim dies viderentur. Sed ut redea-
m⁹ eō, undē digressi paululum sum⁹, quanquam
non fuit defuncta nostra omnis peccati expers,
militem tamen, quod caput rei est, Christianam
se esse docuit, non tantum assiduas cum manē
tum vesperi unā cum liberis & familiâ preces ad
Deum fundendo, & ab unoquoq; liberorum,
quotquot literas noverunt, sanctorum Bibliio-
rum lectionem exigendo, sed & Cœnaciones sacras
tā dominicis festisq;, quam aliis diebus frequen-
tando, & Cœnam Domini in publico Ecclesiæ
cœtu piè sumendo, cuius ut antè sæpius, ità octi-
duo antè partū juxtā cum marito & filiâ natu ma-
ximâ particeps facta est. Dolores in ultimo hoc
puerperio, quod omnium ipsi difficultimum fuit,
per octo dies tulit, idq; tēporis, accersito aliquo-
ties ad se confessionario suo Dn. JOHANNE QVIS-
TORPIO D. Th. Fac. Seniore & Ecclesiæ Rostoch.
Superitendente vigilantissimo, Collegâ & amico
nostro

nostro pl. colendo, piis colloquiis & devotis pre-
cationibus, mente ab omnibus mundi vanita-
tibus ad Deum conversâ, transegit, usq; dum in
hâc piâ devotione, postquam jam ante marito &
liberis, quos & patri commendavit, & ad pietâ-
tem, obsequium, concordiam hortata est, addito
amplexu valedixerat, elapso die Sabbathi inter 11.
& 12. meridianam Spiritum redemptori suo vi-
ctrix reddiderit. Nos & superstîtum liberorum &
Patris secundû nunc vidui, utraq; conjuge tam
hâc quam priori MARGARETHA Lohrmans ex quâ
& unus filius supereft, in puerperio amissâ, vi-
cem dolemus; utq; illis, & piè defunctæ matronæ
Fratribus, uni Dn. MARTINO Tancfen Serenissi-
mi Danorum Regis, in Hollandiâ residenti Le-
gato; alteri ALEXANDRO Tancfen inter nego-
tiatores Hamburgenses, quibus Pannus venalis
est, præcipuo, totiq; familiæ præclaræ condolen-
tiâ nostram testemur, adornatum funus luben-
tes comitabimur. Facietis id mecum, Cives Aca-
demici, & eâdem operâ *Homines* nos esse co-
gitabimus. P. P. Rostochij sub sigillo Aca-
demiae, 13. Julii Anno 1647.

—S(0)Se



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777418738/phys_0013](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418738/phys_0013)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777418738/phys_0014](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418738/phys_0014)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777418738/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418738/phys_0015)






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777418738/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418738/phys_0016)



Alterum fuit, quod fidelem i-
curarum sociam se probavit
sam acerbè dolet viduus: hæ-
tudine domesticâ, ut aliis in
in accuratâ liberorum educ-
tem levavit, fecitque, ut octo
duobus mensibus, quib⁹ mat-
stítit, marito nunc mœstissim⁹
id est, totidē saltim dies vider-
m⁹ eò, undē digressi paululum
non fuit defuncta nostra or-
militem tamen, quod caput
se esse docuit, non tantum a
tum vesperi unā cum liberis
Deum fundendo, & ab una
quotquot literas noverunt,
rum lectionem exigendo, sed
tā dominicis festisq;, quam a-
tando, & Cœnam Domini i-
cœtu piè sumendo, cuius ut a
duo antē partū juxta cum ma-
ximā particeps facta est. Dol
puerperio, quod omnium ipsi
per octo dies tulit, idq; tēpori-
ties ad se confessionario suo I-
TÓRPIO D. Th. Fac. Seniore &
Superintendentē vigilantissime



utricem &
unc amis-
um sollici-
præfertim
ximā par-
ni junctis
hoc con-
testimoniū
ut redea-
uanquam
ti expers,
ristianam
im manē
preces ad
erorum,
n Biblio-
nes sacras
frequen-
Ecclesiæ
, itā octi-
natū ma-
ximō hoc
um fuit,
o aliquo-
ne Quis-
Rostoch.
& amico
nostro